

interfuit, & diem in primis dominicum, templo frequentando, religiose celebrauit, Christianum scilicet se esse recordatus. Cognitione eum adeo non inflauit, ut potius, quo superior multis aliis erat doctrina, hoc submissius se gereret. Nunquam cum collegis suis in gratiam rediit, nunquam cum quopiam fuit in similitate. Munere, quo nihil aerumnosius erat, fidelissime functus, annuo salario satis tenui contentus fuit, vt JACOBVS PERIZONIVS, edoctus illud a D. Cypriano, Lugduni Batauorum eum conueniente, mirari se satis non posse fassus sit, talem tantumque virum tam vili stipendio Coburgi posse sustentari. Nam non nisi nonaginta quinque florenos Franconicos iālarii anni loco Verpoortennium primum accepisse scimus. Neque tamen eum quisquam de salarii tenuitate conqueri vñquam audiuit. Quemadmodum igitur his aliisque animi atque ingenii dotibus eluxit; ita etiam corporis statura inter multos alios eminuit. Quam enim in Euphrate Philosopho Plinius proceritatem corporis laudat, plurimum venerationis illi adquirentem, (*) hanc in Verpoortenio quoque conspicuam fuisse nouimus.

C 4

XIII.

(*) Lib. I. ep. 10. n. 6.